



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Epitome Instituti Societatis Jesu**

**Sesti, Curtius**

**Bruxellis, 1690**

Sect. V. De Egressis sua sponte.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](#)

*m* C. 2. D. 77.  
*&* C. 7 D. 3. *m*

*Quid servandum eum iisdem ad Societatem redire voluntibus.*

*n R. Prov. 46.*

*o P. 2. c. 4. §. 1. & 7.*

*p P. 2. c. 4. §. 8.  
& C. 8. D. 58.  
& R. Prov. 46.  
& Or. c. 1. §. 2.*

*q C. 8. D. 58.*

rationes Pontificibus probatae confirmantur.

*m*

6. Si quis verò ex Dimissis redire ad Societatem velit; cautè procedendum est: cùm constet hujusmodi homines raro idoneos ad Instituti nostri disciplinam inventiri. *n* Et 1. non admittat, nisi qui dimisit, aut Præpositus Generalis suum præstiterit assensum: quem non dabit, si adhuc manent eadem rationes, propter quas fuit dimissus. o 2. Post redditum denuò examinari debet & generalem Confessionem facere, & aliis Probationibus, & Experimentis exerceri; in quibus tamen Provincialis dispensare poterit: sed non nisi post bienium ad Vota admittendus est. p At si contingeret quempiam sine culpa, aut ulla penitus causa è Societate expulsum esse, ita ut invalida sit Dimissio; is in pristinum statum, sine Novitiatu, restitui debet. q

## S E C T I O V.

### *De Egressis sua sponte.*

*Quinam reducendis ex sponte abeuntibies.*

1. **A**d eos reducendos, qui sine licentia recedorent, si prius parum idonei ad Societatem habebantur, nulla diligentia opus erit, sed potius dirigantur ad alii-

aliud Institutum , ibi Deo servire possint , relaxato illis Voto . <sup>r</sup> Si verò hujusmodi essent , ut Deo gratuim fore videretur , eos non sic relinquere ; quod idonei essent ad Societatem ; præcipue si ex aliqua vehementi tentatione , aut ab aliis decepti , egressi viderentur ; adhiberi diligentia posset ad eos reducendos .

2. Quod si aliam Religionem ingressi , & ejusdem habitu induiti fuissent ; nec litigandum videtur Societati , nec procurandum , ut eos reducat . Nam in aliis uti poterit Societas facultatibus sibi à Paulo III . aliisque concessis : quandoquidem aliam Religionem ingrediendo , non ideo de jure desierunt esse de Societate nostra : licet sola post biennium simplicia Vota emiserint : quare ab ea recedentes Apostatarum pœnas , non secus ac Professi , incurruunt . <sup>s</sup>

3. Si verò hi , qui injussi discedunt , immo & alii , qui dimituntur , se conferrent ad alium Societatis locum : videntur nobis in Domino admittendi non esse ; nisi qui loco præst , unde discesserunt , vel Præpositus Generalis admonitus suum assensum præstiterit ; aut forte consultiū judicaretur eos , tanquam hospites recipere , donec responsum à Superiore , ad quem spectat , referetur . <sup>t</sup>

V

4. Ad-

*Quid si aliam Religionem ingressi fuerint.*

<sup>s</sup> P.z.C.4.§.5.  
& B. & C. I.  
D. 24 & Paul.  
III. p. 41. &  
Pius V. pag.  
100. & Greg.  
XIII.p.217.&  
229.& 237.

*Sponte redeun-  
tes à quo rect-  
piendi.*

<sup>t</sup> P.z.C.4.§.1.  
& A. & R.  
Præp. 81. &  
Rect. 79.

*Quae satisfactio  
ab iisdem exi-  
genda.*

*u P. 2. C. 4. §. 6.  
§ 8. & D. &  
R. Prov. 46. &  
Or. c. 1. §. 1.*

*Quid cum va-  
gis, & profugis.*

*x C. 7. D. 4.*

*y C. 9. D. 27.*

4. Admitti autem in Collegium, seu Domum, ex qua discesserant, non debent; nisi parati sint ad quamvis satisfactionem, & probationem. Si vero, & idonei ad Deo in Societate serviendum judicentur; & de eorum verâ pœnitentiâ non liqueret; ad experimentum constantiae, & levitatis preteritæ satisfactionem, in aliquo Xenodochio constitui possent. Quandocumque autem admittentur, denuò examinentur, & probentur, prout Provinciali videbitur: Quod si Vota emiserant, eadem cum aliis renovare poterunt. Sed advertatur hujusmodi homines raro idoneos ad Instituti nostri disciplinam inveniri. "

5. De profugis ad Generalem sine patientibus literis Superiorum suorum, aut similiter per Collegia vagantibus gravis pœna sumenda est; neque audiendi à P. Nostro, sed remittendi in Provincias suas, x At fugiti vi Societatis ipso facto sunt excommunicati. y



C A.